



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Emericus Conf. 4. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Nov. 4. VITÆ S A N C T O R V M . 541
tunc
opu-
cetes
appli-
is, in
a in-
illis
Ser-
tam
san-
ire à
lu-
oras
dici
lle-
ria
uit,
uit,
ios.
di-
sa-
nus.
ar.
vi-
ni-
ici
esi
lā:
lia
ab
e
aulæ frequentiâ ad silvæ solitudinē invitantem, jamque inter aulicas larvas etiam hæresin abjicit. Agnoverunt itaque iterum & amarunt JOANNICIVM suum Superi, cumque invidia illi venenum misceret, fraudem detexerunt. Ille preces veteres frequentavit : *Spes mea Deus Pater, asylon Christus, scutum Spiritus est.* Certè unica crux & panoplia & panchrestum JOANNICIO fuit. Hâc ille cùm gregem suum circumscripsit ad preces abiturus, nihil umquam ex illo desiderabat ; hâc morbos pellebat, serpentes exarmabat, rumpebat vincula, medios hostium cuneos penetrabat, ipsos malos dæmones fugabat. Ipse tamen fugere non erubuit, cùm in impuras cogitationes pugnandum fuit. Quin, cùm è virgine sacrâ has proscriptissent, sed iisdem se obsecsum animadverteret, ita ab his abhorruit ; ut non dubitaret rectâ ad draconem tendere, prædamque se illi (si Numini placuisset) devorandam objicere. Et profecto, si sapit juventus, non ita ad flammandes draconis oculos, non sibilos iratos, & dentatos rictus, uti ad aspectus Veneris molles, ad verba mellea, & arridentia oscula exhorrescat. *Ex Metaphr.*

Luxuriam mortem animæ ille evadere poterit, quia ipsius occasiones fugit, principiis temptationis resistit, carnis desideria frangit, corporis abhorret otium, corporis resolutionem recognitat, & præcipue cordis humilitatem possidere conatur. S.Laurent. Justinian. lib.1. de Spiritu interitu animæ.

S. EMERICUS CONF. 4. Novembris.

Pater EMERICO D. Stephanus fuit Ungariæ rex. Matrem in terris Giselam, D. Henrici Imperatoris sororem, in cælis MARIAM salutavit,

cui natum unicè semper pater commendaverat. At tantis parentibus minimè degener EMERICVS, non dies modò, sed quas juventus somno aut voluptatibus, hoc est, somniis, dare amat noctes, precibus pius vigil transcripsit, non priùs ab aurorâ deprehensus, quām omnia Vatis Jeſſæi carmina decurrisset, & post singula intercalare osculum terræ fixisset. Oculos habuit tam puros, ut ipse animorum occulta sensa perspiceret. Nam jussus à parente salutem ferre viris D E O devotis, oscula quidem in omnes amicissima dispensavit, aliis tamen plura atque aliis tulit, non neminem etiam septies diffuaviatus. Caſſam deinde rogatus, oscula sua meritis singulorum respondere affirmavit; qui plurima tulisset, eum virginem ad id ætatis animum gestare, mille etiam osculis dignum. Ipse cùm vocem audisset cælo allapsam, nihil præ virginitate ſuperis arridere, quām mox D E O Deique MATRI florem ſuum dicavit. nec sponsam priùs admisit, quām ſuum & ipsa cælo despondisset. Et placuere ita hi Numini, ut abstinere jam non potuerit manū, sed ex his E M E R I C V M beatâ morte decerptum in ſua rosaria tranſtulerit. Eò enim ferri Eusebius Episcopus vidit. Invide tu quisquis adhuc cum vento, cum æſtu, cum hieme luctaris flos virgo. Marcescis, ſi te cælum non carpit, & marcescentem manu ſcilicet VIRGO abjicit. Ex Surio.

Duo sunt amores; mundi, & Dei; ſi mundi amor in te habitet, non eſt, quā intret amor Dei. recedat amor Mundi, & habitet Dei; melior accipiat locum. amabas mundum? noli amare mundum; cùm exhaufieris cor amore terreno, hauries divinum. S. August. Tract. 2. in Epift. S. Joan.

SS. GA-